

faria, hocque modo non demonstratur, quo pacto sanguis, tanquam liquor crassior et purpureus, se in ore liquore limpido et tenuiori, quem salivam appellare solemus, quasi profundat. Illustrabimus hanc rem ex Philosophia naturali, si ibidem aliquis structuram et corporum naturalium, et Instrumentorum usualium optime habet exploratam, nescit vero enchirises circa usum eorum necessarias, iste eqvidem de structura dictorum corporum et instrumentorum bene judicabit, nisi vero usus accedat, in experimentis faciendis non adeo erit felix. Pari ratione, licet structuram corporis ex anatomia optime calleamus, tamen, si actiones hominis non simul diligenter observemus, nihil certi facile in medicina pronuntiare poterimus. Ex quo factum fuit procul dubio, ut haec tenus obtinuerit consuetudo in Philosophia naturali, naturam per experimenta exponendi, quoniam hac ratione de assertorum veritate possumus esse satis certi. Faciam itaque periculum, numne possibile sit nec ne, etiam humanam naturam experimentis reddere manifestorem et illustriorem. Quae res licet multum negotii facilius videatur, apparebit tamen

A 3

ex